

# OVATIONES

MARTHA ABBOTT

Hodie honoramus feminam quae adiuvit nutritiveque provexitque studia non solum linguae carissimae nostris cordibus sed etiam omnium linguarum. Nuper designata praeses Concilii ad Docendas Linguas Externas in re publica nostra, adepta est gradum Baccalaureae Artium apud universitatem cuius nomen honorat matrem primi praesidis huius rei publicae; apud universitatem in urbe cuius nomen commemorat eundem virum, patrem patriae nostrae, gradum Magistrae Artium quoque est adepta. Et in regione et in civitate carissimis huic veracissimo imperatori, laboravit multos annos: praecepit linguas Italorum antiquorum hodiernorumque Hispaniensium; curavit disciplinas omnium generum in suo municipio munifico; direxit Academiam Latinam sub tutela gubernatoris Veteris Dominationis; cum aliis Magnis Matribus parturivit—et adhuc lambit in novas formas—Examen Latinum Gentis Nostrae. Sicut regina fabulosa<sup>1</sup> urbem praeclaram statuit, moenia sua vidit, haec dux femina statuit, et promulgavit, normas mensurasque discendo et docendo et aestimando, altae moenia linguae Latinae.<sup>1</sup> Plaudamus Martha Abbott.

*The Agnes Irwin School  
University of Maryland, College Park  
Classical World 96.4 (2003)*

EDWARD S. SACKS  
JUDITH P. HALLETT

MELISSA SCHONS BISHOP

Describens “ardentes Tyrios,” laborantes ut surgerent urbis novae renovataeque gentis moenia, Vergilius noster eos assimilat apibus, quas “exercet sub sole labor, cum gentis adultos / educunt fetus, . . . / aut onera accipiunt venientum.”<sup>2</sup> Vates Mantuanus tum scripsit “[F]ervet opus redolentque thymo fragrantia mella.” Nunc celebramus feminam quae nomine non solum labores sed etiam dulcedinem apium mellisque revocat. Eruditionis et fortitudinis plena, quoque nuper honorabatur ab societate consecrata studiis linguarum litterarumque antiquarum et in oris nostris et in finitimis septentrionem spectantibus. Adepta est gradum Baccalaureae Artium apud aliam matrem feminarum quae ministrant, non ministrantur; gradum Magistrae Artium et Philosophiae Doctoris apud universitatem illorum divinatorum nuntiorum in aurea civitate. In civitate hortorum, apud academiam sitam in regione reverendorum Aboriginum, lucet et novandis et renovandis modis docendi, praecipue auxiliis interretariis. Optime fetus nostrae gentis educit, alacerrime onus maiorum accepit: propter eam opus nostrum magis industrie fervet. Plaudamus Melissa Schons Bishop.

*University of Maryland, College Park  
Classical World 96.4 (2003)*

JUDITH P. HALLETT

---

<sup>1</sup> See *Ver. Aen.* 4.655: *urbem praeclaram statui, mea moenia vidi*; and 1.7: *atque altae moenia Romae*.

<sup>2</sup> *Ver. Aen.* 1.423: *instant ardentes Tyrii*; 430–437: *qualis apes aestate nova per florea rura / exercet sub sole labor, cum gentis adultos / educunt fetus, aut cum liquentia mella / stipant et dulci distendunt nectare cellas, / aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto / ignavum fucus pecus a praesepibus arcent; / fervet opus redolentque thymo fragrantia mella. / “o fortunati, quorum iam moenia surgunt!”*

## SALLY DAVIS

Animae nostrae, ut olim Marcus Tullius Cicero dixit, in optimis rebus sunt exercendae. Nunc honoramus feminam, magistram per excellentiam, quae ita fecit per totam vitam suam. Qua re nuper honorabatur ab societate eruditissima in patria nostra (et in vicina terra solis occasibus illustri) consecrata studiis linguarum litterarumque antiquarum. Ad gradum Baccalaureae Artium apud universitatem, strigibus significatam, propinquam incunabulis Libertatis admissa, est adepta gradum Magistrae Artium bis: primum in nostra civitate septentrionalissima, tum in capite rei publicae nostrae. Docuit puellas et pueros fere triginta annos non solum in urbe propter sepulcra militum merito gloriosa, sed etiam in Academia Latina quam gubernator civitatis tyrannis semper infestae tuebatur; magistros et magistras apud diversas universitates, inter quas eas eiusdem civitatis liberaeque civitatis, instruxit. Doctas sodalitates suorum et suarum collegarum et in ultima colonia et in civitate inter primas tredecim colonias duxit. Multos libros libellosque, doctos et laboriosos, scripsit. Examen Latinum Gentis Nostrae concepit et peperit et almissime fovet. Eximio ingenio, strenuis viribus, ab nobis laudatur velut praeceptrix amoris qui per diu perduret: scientiae doctrinaeque. Plaudamus Sally Davis.

*The Agnes Irwin School*  
*University of Maryland, College Park*  
*Classical World 96.4 (2003)*

EDWARD S. SACKS  
 JUDITH P. HALLETT

## LAWRENCE GAICHAS

Modo Daedali, hic vir, cuius res gestas et labores hic hodie honoramus, subvolat in aethere, quo caelum certe patet, non solum ut imitator verarum avium sed etiam ut nova Arachne.<sup>3</sup> Filius "cervi-oculi" civitatis, adeptus est gradum Baccalaurei Artium in urbe nomine commemoranti nobilissimum Romanum qui toga mutavit aratrum; gradum Philosophiae Doctoris in Capitolio, nomine commemoranti inventorem Novi Mundi. Olim ipse magister, in duabus academiis, linguarum Latinarum Britannicarumque, nunc se devovet ad confirmandas artes magistrarum magistrorumque in lingua Latina docenda. Triginta annos fuit columen (et ter propugnator) studiorum classicorum apud universitatem in loco prioris castelli Gallici, quo tria flumina confluunt. Benignissime societatem nostram servavit, diligentissime functus officiis variis. Ter in tabulas rettulit omnes qui linguam Graecam Latinamque, et de rebus classicis, docent apud universitates in patria nostra et terra acerni folii. Curavit acta nostri libelli docti; praeses fuit; nuperrime fiebat gubernator nostrae telae, quo celerius inter nos communicaremus. Plaudamus igitur Lawrence Gaichas.

*University of Maryland, College Park*  
*Classical World 96.4 (2003)*

SUSAN COMSTOCK  
 KELLY COX  
 BRENT HERNANDEZ  
 DAVID INTLEKOFER  
 DIANA JENSEN  
 JUDITH P. HALLETT

<sup>3</sup> Ov. *Met.* 8.186: *at caelum certe patet*; 8.195: *ut veras imitetur aves*.

## LINDA SQUIER

Nunc salutamus magistram fabulosam, solam quae linguam litterasque Latinas praecepit, quod honorabatur ab conservatoribus memorabilissimarum carissimarumque fabularum. Principes regni magici—terrae primum praeclarae propter mures et anates, deinde notabilis (hercule!) narrandis rebus semidei novem laborum—nuper eam laudibus extulerunt. Quinque lustra discipulos discipulasque municipii regalis nomine (quamquam prope sedem nationis colentis populares) locupletavit: in studiis nostri proprii sermonis scriptorumque venerabilium nostrorum erudit, et in producendis operibus scaenicis instruxit. Sed praestat in illuminandis verbis sententiisque Romanorum antiquorum. Laetificat suam academiam, celebrantem dominam quae “meum diem” revocabat, uxorem praesidis qui novum negotium promisit et impetravit; maxime curat de collegis imperitis; animat suos locos discendi luculentissime, haud secus quam is, in cuius nomine hoc praecipuum praemium recepit, argenteum umbraculum animavit. Plaudamus Linda Squier.

*University of Maryland, College Park*  
*Classical World* 96.4 (2003)

JUDITH P. HALLETT

## MARY ANN STALEY

Laudans duos collegas illustres, Ovidius noster cantat “Mantua Vergilio gaudet, Verona Catullo.”<sup>4</sup> Non solum unum municipium, sed etiam tota civitas Terrae Mariae et supereminens urbs materna patriae nostrae gaudent magistra nunc nobis laudanda. Nuper confirmata ab concilio magistrorum, quod curat mensuras docendi in omnibus civitatibus et una colonia, adepta est summam auctoritatem ad professionem suam pertinentem. In operis aestimandi cursu multa quoque passa est;<sup>5</sup> nunc—velut una ex parvo numero praecipientium linguam Latinam—intravit in ordinem eruditorum magistrarum magistrorumque. Duae universitates in orientali et occidentali finibus eiusdem civitatis eam admiserunt ad gradus Baccalaureae et Magistraeque Artium. Ingeniis sapientiaque corroboravit quattuor academias in eodem municipio, apud universitatem suae civitatis, et multos alios lucos discendi; quamquam studiosissima linguae litterarumque Latinarum, insuper profuit discipulis linguae Germanorum. Scripsit et publice declamavit causa illuminandorum nostrorum studiorum; hanc societatem strenue servavit; summa ope duxit sodalitatem doctorum et doctarum collegarum prope nostrum Capitolium. Plaudamus Mary Ann Staley.

*University of Maryland, College Park*  
*Classical World* 96.4 (2003)

JUDITH P. HALLETT

---

<sup>4</sup> *Ov. Am.* 3.15.7

<sup>5</sup> *Ver. Aen.* 1.5: *multa quoque et bello passus.*